

fortasse et aliter significatum est in eo quod ait : « Et mun-  
» dabor a delicto magno. » Quæreris quam magnum sit  
hoc delictum , quod dejecit Angelum , quod ex Angelo  
fecit diabolum , eique in æternum interclusit regnum cœ-  
lorum? Magnum hoc delictum est , et caput atque causa  
omnium delictorum. Scriptum est enim : « Initium peccati  
» omnis superbia<sup>1</sup>. » Et ne quasi leve aliquid contemnas,  
« Initium , inquit , superbiæ hominis apostatare a Deo<sup>2</sup>. »  
Non leve malum est hoc vitium , fratres mei : huic vitio  
in his personis , quas videtis amplas , displicet humilitas  
christiana. Propter hoc vitium dēdignantur colla subdere  
jugo Christi , obligati arctius jugo peccati. Non enim servire  
non eis continget : nam nolunt servire , sed eis expedit  
servire. Nolendo servire nihil aliud agunt , quam ut bono  
Domino non serviant , non ut omnino non serviant : quia  
qui noluerit servire charitati , necesse est ut serviat iniqui-  
tati. Ab hoc vitio , quod est caput omnium vitiorum , quia  
inde cætera vitia nata sunt , facta est apostasia a Deo ,  
eunte anima in tenebras , et male utente libero arbitrio ,  
peccatis etiam cæteris consecutis : ut et substantiam suam  
dissiparet cum meretricibus vivens prodige , et per eges-  
tatem fieret pastor porcorum<sup>3</sup> , qui erat socius Angelorum.  
Propter hoc vitium , propter hoc magnum superbiæ pec-  
catum , Deus humilis venit. Hæc causa , hoc peccatum  
magnum , iste ingens morbus animarum , omnipotentem  
Medicum de cœlo deduxit , usque ad formam servi hu-  
miliavit , contumeliis egit , ligno suspendit , ut per salutem  
tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubescat  
homo esse superbis , propter quem factus est humilis Deus.  
Ita , inquit , « Mundabor a delicto magno , quia Deus  
» superbis resistit , humiliibus autem dat gratiam<sup>4</sup>. »

<sup>1</sup> Eccli. x , 15. — <sup>2</sup> Ibid. 14. — <sup>3</sup> Luc. xv , 13. — <sup>4</sup> Jacob. iv , 6 , et  
Petr. v , 5.

XII. « Et per hoc ut complacent eloquia oris mei , et  
» meditatio cordis mei , in conspectu tuo semper<sup>1</sup>. » Nam  
si ab hoc magno delicto non mundabor , in conspectu ho-  
minum placebunt eloquia mea , non in conspectu tuo.  
Superba anima in conspectu hominum vult placere : hu-  
milis anima in occulto , ubi Deus videt , vult placere ; ut  
si placuerit hominibus de bono opere , illis gratuletur  
quibus placet bonum opus , non sibi cui sufficere debet quia  
fecit bonum opus. « Gloria nostra , inquit , hæc est , tes-  
» timonium conscientiæ nostræ<sup>2</sup>. » Ideoque dicamus etiam  
quod sequitur : « Domine , adjutor meus et redemptor  
» meus<sup>3</sup>. » Adjutor in bonis , redemptor a malis. Adjutor  
ut habitem in charitate tua , redemptor ut liberes me ab  
iniquitate mea.

## ENARRATIO

### IN PSALMUM XIX.

In finem , Psalmus David<sup>4</sup>.

I. Notus est iste titulus , nec Christus dicit , sed Christo  
dicit Propheta , figura optandi quæ ventura sunt canens.

II. « Exaudiat te Dominus in die tribulationis<sup>5</sup>. » Exau-  
diat te Dominus in die qua dixisti : « Pater clarifica Filium  
» tuum<sup>6</sup>. Protegat te nomen Dei Jacob. » Ad te enim per-  
tinet populus posterior natu , quia major serviet minori<sup>7</sup>.

III. « Mittat tibi auxilium de sancto , et de Sion tueatur  
» te<sup>8</sup>. » Faciens tibi sanctificatum corpus , Ecclesiam , de

<sup>1</sup> Psal. xviii , 15. — <sup>2</sup> Cor. i , 12. — <sup>3</sup> Psal. xviii , 15. — <sup>4</sup> Id. xix , 1.  
— <sup>5</sup> Ibid. 2. — <sup>6</sup> Joan. xvii , 1. — <sup>7</sup> Gen. xxv , 23. — <sup>8</sup> Psal. xix , 3.

speculatione tutam, quæ expectat quando venias a nuptiis.

IV. « Memor sit omnis sacrificii tui<sup>1</sup>. » Memores nos faciat omnium injuriarum tuarum et contumeliarum, quas pro nobis pertulisti. « Et holocaustum tuum pingue fiat. » Et crucem, qua totus oblatus es Deo, in lætitiam resurrectionis convertat.

V. « Diapsalma. Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum<sup>2</sup>. » Tribuat tibi Dominus, non secundum cor eorum, qui putaverunt persequendo delere te posse; sed secundum cor tuum, quo scisti quid utilitatis haberet passio tua. « Et omne consilium tuum compleat. » Et compleat omne consilium tuum, non solum quo animam tuam posuisti pro amicis tuis<sup>3</sup>, ut mortificatum granum copiosius resurgeret<sup>4</sup>; sed etiam quo, « Cæcitas ex parte Israël facta est, ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret<sup>5</sup>. »

VI. « Exultabimus in salutari tuo. » Exultabimus quod tibi mors nihil nocebit: ita enim nec nobis eam nocere posse monstrabis. « Et in nomine Domini Dei nostri magnificabimus<sup>6</sup>. » Et confessio tui nominis non solum non perdet, sed etiam magnificabit nos.

VII. « Impleat Dominus omnes petitiones tuas<sup>7</sup>. » Impleat Dominus non solum petitiones quas habuisti in terra, sed etiam quibus in cœlo interpellas pro nobis. « Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum<sup>8</sup>. » Nunc mihi per prophetiam demonstratum est, quoniam resuscitabit Dominus Christum suum. « Exaudi illum de cœlo sancto suo. » Exaudi illum non de terrâ tantum, ubi se petuit clarificari<sup>9</sup>; verum etiam de cœlo, ubi jam ad dexteram Patris interpellans pro nobis<sup>10</sup>, dif-

<sup>1</sup> Psal. xix, 4. — <sup>2</sup> Ibid. 5. — <sup>3</sup> Joan. xv, 13. — <sup>4</sup> Id. xn, 15. — <sup>5</sup> Rom. xi, 25, 26. — <sup>6</sup> Psal. xix, 6. — <sup>7</sup> Ibid. 7. — <sup>8</sup> Ibid. — <sup>9</sup> Joan. xviii, 1. — <sup>10</sup> Rom. viii, 34.

fudit inde Spiritum sanctum super credentes in se<sup>1</sup>. « In potentatibus salus dexteræ ejus. » Potentatus nostri sunt salus favoris ejus, cum etiam de tribulatione dat auxilium, ut quando infirmamur, tunc potentes simus<sup>2</sup>. Nam vana salus hominum<sup>3</sup>, quæ non dexteræ, sed sinistræ ejus est. Hac enim extolluntur in magnam superbiam, quicumque peccantes temporaliter salvi facti sunt.

VIII. « Hi in curribus et hi in equis. » Hi volubili successione temporalium bonorum trahuntur, et hi superbi præferuntur honoribus, atque in his exultant. « Nos autem in nomine Domini Dei nostri exultabimus<sup>4</sup>. » Nos autem spem figentes in æternis, neque gloriam nostram quærentes, in nomine Domini Dei nostri exultabimus.

IX. « Ipsi obligati sunt, et ceciderunt<sup>5</sup>. » Et ideo ipsi temporalium rerum cupiditate obligati sunt, timentes parcere Domino, ne a Romanis perderent locum<sup>6</sup>: et irruentes in lapidem offensionis et petram scandali<sup>7</sup>, de spe cœlesti ceciderunt: quibus cæcitas ex parte Israël facta est<sup>8</sup>, ignorantibus Dei justitiam, et suam volentibus constituere<sup>9</sup>. « Nos vero surreximus, et erecti sumus. » Nos vero ut populus Gentium intraret, de lapidibus excitati filii Abraham<sup>10</sup>, qui non sectabamur justitiam, apprehendimus eam<sup>11</sup>, et surreximus: nec viribus nostris, sed per fidem justificati erecti sumus.

X. « Domine, salvum fac regem: » ut ipse qui nobis præliandi exemplum passione monstravit, offerat etiam sacrificia nostra, sacerdos excitatus a mortuis, et in cœlo constitutus. « Et exaudi nos in die qua invocaverimus te<sup>12</sup>. » Quo jam pro nobis offerente, exaudi nos in die qua invocaverimus te.

<sup>1</sup> Act. ii. — <sup>2</sup> 1 Cor. xii, 10. — <sup>3</sup> Psal. lxx, 13. — <sup>4</sup> Id. xix, 8. — <sup>5</sup> Ibid. 9. — <sup>6</sup> Joan. xi, 48. — <sup>7</sup> Rom. ix, 32. — <sup>8</sup> Id. xi, 25. — <sup>9</sup> Id. x, 3. — <sup>10</sup> Matth. ix, 9. — <sup>11</sup> Rom. ix, 30. — <sup>12</sup> Psal. xix, 10.

ENARRATIO  
IN PSALMUM XX.

In finem, Psalmus ipsi David<sup>1</sup>.

I. TITULUS notus est, de Christo canitur.  
II. « Domine, in virtute tua lætabitur rex. » Domine, in virtute tua, qua Verbum caro factum est, lætabitur homo Christus Jesus. « Et super salutari tuo exultabit » vehementer<sup>2</sup>. » Et super hoc, quo vivificas omnia, exultabit vehementer.

III. « Desiderium animæ ejus dedisti ei<sup>3</sup>. » Desideravit manducare Pascha<sup>4</sup>, et ponere cum vellet; atque iterum cum vellet sumere animam suam<sup>5</sup>; et dedisti ei. « Et vo- » luntate laborum ejus non privasti eum<sup>6</sup>. Pacem meam, » inquit, relinquo vobis<sup>7</sup>: » et factum est.

VI. « Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dul- » cedinis<sup>8</sup>. » Quoniam prius hauserat benedictionem dulcedinis tuæ, fel peccatorum nostrorum non nocuit ei. « Diapsalma. Posuisti in capite ejus coronam de lapide » pretioso<sup>9</sup>. » In principio sermonis ejus accedentes am- bierunt eum lapides pretiosi, Discipuli sui, a quibus exor- dium annuntiationis ejus fieret.

V. « Vitam petiit, et dedisti ei<sup>10</sup>. » Resurrectionem pe- tiit, dicens: « Pater, clarifica Filium tuum<sup>11</sup>: » et dedisti ei. « Longitudinem dierum in sæculum sæculi<sup>12</sup>. » Longa

<sup>1</sup> Psal. xx, 1. — <sup>2</sup> Ibid. 2. — <sup>3</sup> Ibid. 3. — <sup>4</sup> Luc. xxii, 15. — <sup>5</sup> Joan. x, 18. — <sup>6</sup> Psal. xx, 3. — <sup>7</sup> Joan. xiv, 27. — <sup>8</sup> Psal. xx, 4. — <sup>9</sup> Ibid. — <sup>10</sup> Ibid. 5. — <sup>11</sup> Joan. xvii, 1. — <sup>12</sup> Psal. xx, 5.

tempora sæculi hujus, quæ haberet Ecclesia, et deinceps æternitatem in sæculum sæculi.

VI. « Magna est gloria ejus in salute tua<sup>1</sup>. » Magna est quidem gloria ejus in salute, qua eum resuscitasti. « Glo- » riam et magnum decorem impones super eum<sup>2</sup>. » Sed adhuc gloriam et magnum decorem addes ei, cum in coelo collocabis ad dexteram tuam.

VII. « Quoniam dabis ei benedictionem in sæculum sæ- » culi<sup>3</sup>. » Hæc est benedictio, quam ei dabis in sæculum sæculi. « Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. » Se- cundum hominem lætificabis eum cum vultu tuo, quem levavit ad te.

VIII. « Quoniam rex sperat in Domino. » Quoniam rex non superbit, sed humilis corde sperat in Domino. « Et in » Altissimi misericordia non commovebitur<sup>4</sup>. » Et in Altissimi misericordia non conturbabit humilitatem ejus obe- dientia usque ad mortem crucis.

IX. « Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis<sup>5</sup>. » Inveniatur, o rex, potestas tua, cum ad judicandum ve- neris, omnibus inimicis tuis, qui eam in humilitate tua non intellexerunt. « Dextera tua inveniat omnes qui te » oderunt<sup>6</sup>. » Claritas, qua regnas ad dexteram Patris, in- veniat in die judicii puniendos omnes qui te oderunt; quia nunc ipsi non invenerunt eam.

X. « Pones eos ut clibanum ignis. » Constitues eos ar- dentes intrinsecus, conscientia impietatis suæ. « In tem- » pore vultus tui. » In tempore manifestationis tuæ. « Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos » ignis<sup>7</sup>. » Deinde conturbati vindicta Domini, post ac- cusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno devorandi.

XI. « Fructum illorum de terra perdes. » Fructum il-

<sup>1</sup> Psal. xx, 6. — <sup>2</sup> Ibid. — <sup>3</sup> Ibid. 7. — <sup>4</sup> Ibid. 8. — <sup>5</sup> Ibid. 9. — <sup>6</sup> Ibid. — <sup>7</sup> Ibid. 10.

lorum, quia terrenus est, perdes de terra. « Et semen eorum a filiis hominum<sup>1</sup>. » Et opera illorum, vel quoscumque seduxerunt, non deputabis inter filios hominum, quos in haereditatem sempiternam vocasti.

XII. « Quoniam declinaverunt in te mala. » Hæc autem poena retribuetur eis, quoniam mala quæ sibi imminere, te regnante, arbitrabantur, in te occidendum detorserunt. « Cogitaverunt consilium, quod non potuerunt stabilire<sup>2</sup>. » Cogitaverunt consilium, dicentes : « Expedit unum pro omnibus mori<sup>3</sup> : » quod non potuerunt stabilire, ne-scientes quid dixerint.

XIII. « Quoniam pones eos deorsum. » Quoniam ordinabis eos in his, a quibus postpositis et contemptis avertaris. « In reliquiis tuis præparabis vultum eorum<sup>4</sup>. » Et in his quæ relinquis, id est, in cupiditatibus regni terreni, præparabis tibi ad passionem impudentiam eorum.

XIV. « Exaltare, Domine, in virtute tua<sup>5</sup>. » Quem humilem non cognoverunt, exaltare, Domine, in virtute tua, quam infirmitatem putaverunt. « Cantabimus et psallemus virtutes tuas<sup>6</sup>. » Corde et opere celebrabimus et nota faciemus mirabilia tua.

<sup>1</sup> Psal. xx, 11. — <sup>2</sup> Ibid. 12. — <sup>3</sup> Joan. xi, 50. — <sup>4</sup> Psal. xx, 13. — <sup>5</sup> Ibid. 14. — <sup>6</sup> Ibid.

## ENARRATIO I

## IN PSALMUM XXI (10).

In finem, pro susceptione matutina, Psalmus David<sup>1</sup>.

I. In finem pro resurrectione sua ipse Dominus Jesus Christus loquitur. Matutina enim fuit prima sabbati resurrectio ejus<sup>2</sup>, qua susceptus est in æternam vitam, « Qui mors ultra non dominabitur<sup>3</sup>. » Dicuntur autem ista ex persona Crucifixi; nam de capite Psalmi hujus sunt verba, quæ ipse clamavit, cum in cruce penderet, personam etiam servans veteris hominis, cuius mortalitatem portavit. Nam vetus homo noster confixus est cruci cum illo<sup>4</sup>.

II. « Deus, Deus meus, respice me, quare me dereliquisti longe a salute mea<sup>5</sup>? » Longe factus a salute mea: quoniam longe est a peccatoribus salus<sup>6</sup>. « Verba delictorum meorum. » Nam hæc verba sunt non justitiae, sed delictorum meorum. Vetus enim homo confixus cruci loquitur; etiam causam ignorans quare eum dereliquerit Deus: aut certe: « Longe a salute mea sunt verba delictorum meorum. »

III. « Deus meus, clamabo ad te per diem, nec exaudiens dies<sup>7</sup>. » Deus meus, clamabo ad te in rebus prosperis hujus vitæ, ut non mutentur; nec exaudies quia verbis delictorum meorum ad te clamabo. « Et nocte, et non ad insipientiam mihi. » Et in adversis utique hujus vitæ clamabo ut prosperentur, et similiter non exaudies. Neque

<sup>1</sup> Psal. xxi, 1. — <sup>2</sup> Matth. xxviii, 1. — <sup>3</sup> Rom. vi, 9. — <sup>4</sup> Ibid. 6. —

<sup>5</sup> Psal. xxi, 2. — <sup>6</sup> Id. cxviii, 155. — <sup>7</sup> Id. xxi, 3.